cum illo facit deus misericordiam in qua sunt multę miseraciones. Quod
ait miserere mei deus. hoc est quod dicit dele iniquitatem meam. Et
quod dicit secundum multitudinem miseracionum tuarum. hoc est quod
dicit secundum magnam misericordiam tuam. Amplius laua me ab ini
quitate mea. Peto ut peccata mea abluas fonte misericordię qui
non uis in eternum peccati uulnera reseruare. Ac si dicat: tu potes
plus mihi remunerare quam ego te intellegam rogare. Scio quia peccatum
meum inpunitum non manebit. Et a peccato meo munda me. Non iusticiā
tuam cuius quero misericordiā. Sed tamen a deo peto ne me puniat quia ego
peccatum meum punio flendo et memet ipsum condempnando. Quoniam iniqui
tatem meam ego cognosco idest ante faciem meam pono. ideo peto ut tu ignos
cas quia ego istud agnosco. Et peccatum meum contra me est semper. Non enim
posui post dorsum peccatum quod feci. sed ante me est semper nec intuendo alios
oblitus sum illud. Iniquitas dicitur quicquid contra legem diuinam agitur.
Omnes sciunt peccata sua. sed soli illi probantur ea agnoscere qui ea propria
execratione condemnant. Peccatum commissum deflens in conspectu meo
pono illud iugiter. quasi in futuro iudicio iam ante te constitutus. Tibi soli
peccaui. Quilibet ex populo peccans errando deo peccat et regi. Rex autem de
linquens soli deo reus existit. qui nullum hominem timet. Ideo ergo soli deo
dicit se peccasse quia solus deus erat. qui eius peccatum discutere potuisset.
Tibi soli inquit qui solus potes dimittere peccata. et qui solus est sine peccato.
Et malum coram te feci idest oblitus beneficiorum tuorum te ad iracundiam
irritaui. Ut iustificeris in sermonibus faciendo ut filius tuus nascatur ex se
mine meo sicut promisisti. Et uincas cum iudicaris. idest ab omnibus qui te
reprehendunt. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Dauid ex legitimo
fuerat natus coniugio. Dicit tamen in iniquitatibus se conceptum propter
noxam originalis delicti sicut et omnes homines. Est ergo sensus. Inini